[illegible] de 31 [illegible]
[illegible] capítulos [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] 1612
al 1773 [illegible]
[illegible]

Este libro usado
FUE DESINFECTADO
para su venta

ESTE MARBETE DEBE SER
[DES]TRUIDO POR EL COMPRADOR

INDICTIO CAPITVLI PROVINCIALIS FUTURI.

275.9.

ACTA CAPITULI PROVINCIALIS,

Cuius in hoc Imperiali Conventu S.P.N. DOMINICI de Mexico celebratio facta fuit, ſub die decima ſexta Maij, anni currentis à Mundi Reparatione milleſſimi ſeptingenteſſimi quinti.

Sub R. Adm. P. N. M. Supremæ Probationibus pro Fidei Orthodoxæ cauſis Qualificatore; in Regia, ac Pontificia Mexicana Minerva Doctore Theologo, in eademque, A. N. Præceptoris Publico Expoſitore, olim in S. P. N. DOMINICI de Porta-Cœli Collegio Rectore, FR. BARTHOLOMÆO NAVARRO À SANCTO ANTONIO, omnium conſénſu in præſentiarum, ad Prioris Provincialis munus aſſumpto.

IPSO, VNA QVE DIFFINIENTIBVS

RR. Adm. PP, NN. Fr. Petro de la Peña Mag. Sanctæ Inquiſitionis Qualificatore, & Domus noſtræ de Ameccammeccam Præſule, Fr. Dominico de Alvarado Mag. Fr. Michaele de Aguirre, Præſent. & N. Mexicei Conventus Priore, Fr. Francisco de Chavarria Præd. Gen. Præſent. ac SS. Dominæ N. de Pietate Strictioris Obſervantiæ Conventus Priore.



Mexici: apud Hæredes Viduæ Frãciſci Rodriguez Lupercio.

ROVINCIALIS

imus pro futuri

RPJCB

IN NOMINE SANCTISSIMÆ TRINITATIS PATRIS ET FILIJ, ET SPIRITUS SANCTI,

Chriſtiferæ, Immaculatæ Dominæ N. Virginis MARIÆ, Glorioſiſſimi P. N. DOMINICI, Sanctorum in ſimul, ac Dei Sanctarum omnium. Amen.

Abſolutiones.

ABSOLVIMUS, omnes Suppriores, Vicarios, atque Præſidentes huius N. Mexicanæ Provinciæ.

Denuntiationes.

1ª §. 1. DEnuntiamus ob munus, & officium Provincialatus dictæ noſtræ Provinciæ impletum laudabiliter quatriennij tempore, á R. Adm. P. N. Exprovinciali Fr. Ioſeph Gonzales Præd. Generali illius eveniſſe vacãtiam: Quapropter ad providẽtiam de Capite, & Paſtore eligendo, pro imminẽti, deſignato iam tempore, Capituli Provincialis, celebratione, ad quartâm Dominicam poſt Oct. Paſchæ, quæ eſt *Deus à quo bona*, die decimâ ſexta Maij milleſſimi ſeptingenteſſimi quinti Anni per agenda, in præmemorato iam Imperiali Mexicano Conventu, conveniẽtibus vná vocalibus, legum noſtrarum iure de omnibus, ſuper hac re ſervatis, Præſide R. A. P. N. Præſent. Capituli huius Dif-

Diffinitore, dicti N. Cœnobij Priore, Fr. Michaele de Aguirrê, omnium calculo, tranquilla pace manentium in ordine ſuo, in Priorem evectus fuit Provincialem R. Adm. P. N. Mag. Fr. Bartholomæus Navarro á Sancto Antonio, non tam Vocibus Capitularium proclamatus, quám digito Dei [pro noſtra fœlicitate) deditus. Sptus Septiformis (mirabile dictu) hic lumine vibrante, dextera Dei excelſi, guttura ditans, vniformitate Sapientiæ Pleiades ſeptem adiunxit: Manus Domini auxiliabitur ei, & quem dextera ſuper excelſa mirum in modum exaltavit, brachium, magna perficiens confortabit vlterius: *Magnum fecit Dominus*; ab ipſo equidem factum eſt; *& eſt mirabile in oculis noſtris.* Apparuit equidem Iris omnium animos, vt afferat omne punctum miſens vtile dulci ſereno vultu reficiens; vt ita communibus cordis hilaris affectibus, & plauſibus, celebretur; Non ſiquidem tantum Religioſorum Chori, verum enim pariter cuncta Imperialis, Nobilisque Mexicana Civitas, á minimo ad maximum vſque, extollentes ad ſydera voces cordis ab imis, linguis conclamabant in gaudio Benedictus qui à Dño deditus, ſapiens dominatur & Aſtris, erectus àd Olympi Guſmanici culmen, dum humilitatis animo alta ſedilia renuens, exclamabat ſupplex: *quis ſum ego?* Ex templo, *fecit magna qui potens eſt*; reſpiciens humilitatem. Hic eſt á quo, tamquam ex vberrimo fonte, magna eloquentiæ flumina manant, in quo omnes verborum lepòres, elegantiæ, venuſtates; cuncta docendi ornamenta; omnia que ſcientiæ, ac Religionis decora elucēt. Qua propter à Rmo. P. N. M. Gen. ſuppliciter petimus, ac rogamus huiuſmodi electionem cõfirmari, cum adeo per acta canonice, rite que noſcatur; vt ipſam Deus Op. Max. operatus in nobis ſit, rupta que temporum mora Generalium Capitulorum ordinationibus pro Indiarum Provincijs obtemperantes, decretum, & Scrutinium tranſmittemus, tandem que, quo ad vſque reſponſum reddere digetur, ſubmiſſo animo obedientiam præſtamus electo, prout

præ-

præcipit SS. D. N. Alex. VII. Brevi App. *Sacroſancti Apoſtolatus.*

2ª §. 2. Denuntiamus literas patentes Rmi. P. N. Mag. Gen. de Confirmata Provincialatus electione R. Admod. P. N. Præd. Gen. Fr. Ioſephi Gonzales Ex-*P*rovincialis, receptas, perlectas que, & ab omnium hilari animo, & plauſibus, celebratas fuiſſe, atque optemperatas.

3ª §. 3. Denuntiamus: Rmi. P. N. M. Gen. *P*atentes literas ſub die 23. Martij, Anno 1704. Noſtræ appuliſe Provinciæ. quibus Magiſterij gradus R R. P P. Præſentatis Fr. Dominico de Alvarado loco Magiſterij R. Adm: P. M. Fr. Ioannis Pimentel eius ob mortem: Fr. Petro Manſo loco R. Admod. *P*. Mag. Fr. Ioannis Baptiſta Mendes ob mortem eius, & Fr. Balthazaris Romeo, loco R. Adm. P: Mag. Fr. Auguſtini Dorantes eius ob mortem, ex natis in Indijs titulo lectionis confertur fuiſſe ſuſceptas, & executioni tradditas.

§. 4. In ſimul fuiſſe receptas, pro Præſentaturæ gradibus, & illas, quibus R R. P P. Lectoribus. Fr. Ioanni Corduva Zeballos, ex natis in Indijs, loco actu vacante R. Adm. *P*. Mag. Fr. Balthazaris Romeo, eius ob aſſumptionem, Fr. Ioanni â Sancto Ioſepho, ex natis in Hiſpania loco actu Vacante R. Admod. *P*. Mag. Fr. *P*etri Manſo, eius Aſſumptionis ob cauſam, Fr. Antonio Pinto, ex natis in Hiſpania loco actu vacante R. Adm. P. Mag. Fr. Dominici de Alvarado, ob eius aſſumptionis motivum, etiam lectionis titulo conceditur, & confertur.

§. 5. Et tandem, illas ſuſceptas fuiſſe, quibus R R. P P. Fr. Franciſco de Chavarria ex natis in Hiſpania, & Fr. Thomæ Fuentes ex natis in Indijs Prædicaturæ, & ſimul Præſentaturæ gradus titulo Prædicationis confertur, deſignando pro loco actu vacante R. *P*. Fr. Franciſco de Chavarria in Prædicaturæ gradu Conventum noviter in Prioratum erectum S. Ioannis Baptiſtæ de Coioacan, & pro præſentaturæ gradu locum

cum R. Ad. *P*. Fr. Antonij Ceſpedes, ob aſſump. eius ad Mag. ſimiliter R. P. Fr. Thomę de Fuentes pro Prædicaturæ gradu Conventum noviter erectum S. P. N. Dominici de Oaxtepec, & pro Præſentaturæ gradu locum *R*. Adm. P. Fr. Antonij Ceſpedes, ob eius aſſump. *R*eceptas etiam nuntiamus litteras, patentes, quibus titulo Prædicationis, gradus Prædicatoris *Gen.* conceditur R. *P*. Fr. Ioſepho Fernandes ex natis in Indijs, pro vacaturo loco, quibus omnibus flexis genibus obtemperavimus.

4ª §. 6. Denuntiamús N. Rmi. P. M. *Generalis Patentes* litteras, quibus N. Iacobæam Provinciam decorare conatur, deſignantes novam Prioratuum erectionem, fuiſſe receptas; erectio autem in hunc modum peracta fuit: Domus de Oaxtepec. Domus de Coyoacan, Domus de Atzcapozalco, Domus de Ameccammeccam, Domus de Tlaquiltenanco, & Domus de Quautlan, In quarum inſtitutione, ipſis P P. á Concilio adſtantibus, *R*. Admod. P. N. Ex-*P*rovincialis *Præd.* Gener. Fr. Ioſephus Gonzales, iuſſioni *C*atholici *R*egis Noſtri ſub die 14. Februarij, ſalutis anno 1703. Matriti, circa erectionem, & novam Prioratuum inſtitutionem attendens, literas, que N. Rmi. Mag. Gen. executioni dandas cura, & obedientia Evigilans, Domibus in Prioratus noviter erectis adiunxit & alias, quæ tantum ſub titulo Vicariatus exiſtunt; vt ita hæ, & in illis *R*eligioſi vitam degentes *P*rioribus Conventuum illorum commodius, tanquam Prælatis ordinarijs, pareant, & obediant.

§. 7. Aggregatio equidem, ita fuit executioni mandata: Conventui Atzcapozalco, cõſignantur Domus de Tepetlaztoc, de Coatepec, & de Chimalhuacanatéco: Conventui Sãctæ Mariæ de Pietate, Domus de Atlacoayan, & de Mixcoac, Conventui de *C*oyoacan, Domus de Sãcto Hyacintho, de Sãcto Auguſtino Palpan, de Tlahuac, & de Yztapalucan, Conventui de Ameccanmeccam, Domus de Tenanço, de Tepetliſ-

tlizpan, de Jochitepec, & Chimalhuacanchalco, Conventui de Oaxtepec. Domus de Yautepec, & Domus de Tepuztlan, de Huayapan, & de Ecatzinco. Conventui de Tlaquiltenāco, Domus de Tlaltizapan, quæ quidem conſignationes, á prædicto Concilio Patrum, vt oſtenſæ fuerunt; vnanimiter fuerunt approbatæ.

§. †. Nunc vero, á noſtro Præſenti Deffinitorio, determanatio fuit facta, quod ſi aliquo accidenti ſuperveniente, emolumenta Conventibus noviter erectis deſſiciant, pro commoditate circa Religioſos alendos, ſecundum. R. Adm. P. N. M. Provincialis, vel alterius pro illius temporis eventu diſpoſitionem Domus Prioratibus aggregatæ reſpectivê pro ſumptibus iuvamen impendant.

§. 9. Peracta denique, & Cōventuum erectione, & Domorum aggregatione confecta, ex parte *R*egalis Senatus huius Mexicanæ Urbis, per decretum Noſtræ Mexicanæ *P*rovinciæ tranſmiſſum, huiuſmodi Conventus recenter erecti iterum in Vicarias fuere reducti: Mexicani Senatores ducti ſunt, eo quod litteræ patentes N. Rmi. Mag. Gen. de Prioratuum erectione facta in Indiarum *R*egio Concilio non fuerint præſentatæ, vt inde robore, & validitate ad nos, vt executioni fuerint mandandæ dignoſcerentur, quam indigentiam Senatores prædicti attendentes, depoſitionem Priorum á Conventibus decreverunt.

5ª §. 10. Denuntiamus: R. P. Lectorem Fr. Ioannem de Eſpinoſa, & Moteno ex natis in Hiſpania, ſervatis de iure ſervādis, per ſecreta ſuffragia, omni capitulo conveniente, Canonice electum fuiſſe pro Curia Romana diffinitorem, ſimiliterque electos fuiſſe in cauſarum iudices ſex RR. PP. Mag. cæteris omnibus antiquiores, ſicut & pro neceſſarijs in iudices cōſervatores electos fuiſſe huius Metropolicæ Mexicanæ Eccleſiæ Capitulares Sapientiſſimos Doctores, Sacrorum Canonum inſula perornatum D. Antonium de Villa-Señor, & Monroi,

Sanc-

Sanctæ Cruciatæ Commiſſarium, in Mexicea Academia præſenti ſydere Rectorem, & D. D. Michaelem Gonzales de Valdeoſera, vtraque Sophia Magiſtrum, ante actis temporibus; in Mexicana Minerva Rectorem condecoratum, Strictioris Obſervantiæ Sancti Ioſephi Convẽtus Excalceatarum Monialium Carmeli Capellanum, Præſenti curriculo per illuſtris Congregationis Eccleſię Principis Divi Petri Abbatem electum.

§. 11. Denuntiamus: quod iuxta ordinationem Illmi. de Monroy, pro hac Provincia diſponentis, Quod Provinciales expleto officij tempore, reddãt receptorum rationem in deffinitorio, exhibitis ratiociniorum circa hæc libris coram noſtro Diffinitorio à R. Admod. P. N. Præd. Gener. Ex-Provinciali Fr. Ioſepho Gonzales, omnia adamuſim expenſa reperta ſunt, nihil que contra ipſum approbatis ipſius ratiocinijs apparuit. Qua propter illum abſolvimus, & abſolutum declaramus, de quibus certiorem Rmum. P. N. Mag. Gener. facimus.

Ordinationes.

6ª §. 12. ORDINAMUS: Divino cultui, & decori attendentes, quod ad celebrationem Sacroſancti, ac incruenti Sacrificij, vt mos eſt, omni in quinta cuiuſque Hebdomadæ feria, qua cẽlebratione, de novo Corpus Chriſti Domini ſub ſpeciebus Sacramentalibus collocatur, omnes, & ſinguli, (dempto nemine) interſint choro, pro cuius egregio decore, ornatu que, & reverentia, mandamus Sacriſtam diligentia, & vigilantia curam gerere ſuper his, quæ ad Altaris ornamentum ſpectant, taliter vt neceſſarius luminum numerus, pro tanti præſentia Domini non deſit, præ oculis ſemper habentes, ſic nos eum viſitare, ſicut & illum colimus.

Ordi-

2. §.13. Ordinamus: eundem Sacriſtam omni diligentia curare, quod cum Domum Domini omnis Sãctitudo deceat, vt ſanctitatis odorem ſpiret, ne in ſordibus nubilata pulvere altaria permaneant, ſicque crebro, & quotidiano labore ea mundare nitatur, ſicut & candelabra inſuper, & providere de apponendis mappis, linteis que omni de albatione nitentibus, quotidie que ſub veſperum Altaria veſtire ſecundum diverſam feſtorum qualitatem, vt iam hoc, iam illo colore, induatur Altare, ipſe que provideat ne ob deficientiam aquę nõ lotis manibus, Panis Angelorum aſſumatur in eſcam, quia ſi ſecundum puritatem manuum Dominus retribuere dignatus eſt, interius, exterius que lotis manibus operari, laudandum eſt.

3. §.14. Ordinamus: Neminem, á recitatione dulciſſimi Sanctiſſimæ Verbiparæ Nominis deeſſe, ſicuti ordinatum eſt Romæ 1677. ſub die 28. Septemb. per Illuſtriſſimum Compoſtellanum, cum fere ab incunabulis Ordo noſter tam venerabile Nomen, omnem dulcedinem ſuperſtillans, cæperit ſalutare, & ita ſane labia eius lilia, & ſi primam myrrham diſtilantia dum Chriſtum, & hunc Crucifixum, enuntiant, odoriferos millia millium flores eloquentia, dum Deiparæ nomen omni reverentiá ſalutant, nequidem & nos ſpernentes tam laudabilem praxim á viâ Patrum noſtrorum deviantes, ab itinere veritatis erremus, quamque plurimis gratijs, & indulgentijs pro corporaliter, ſpiritualiter que convenientibus conceſſis privemur.

4. §.15. Ordinamus: Omnes, tam extra, quam intra huius Mexicani Conventus ægritudine laborantes ad communem curationis domum, in hoc Imperiali Cœnobio ſitam, omni interrupta mora transferri, vbi & pharmaca, neceſſaria que pro adipiſcenda valetudine, vt citius recreentur, & redeant vt Dei famuli, ad priſtinam conſuetudinem miniſtrentur: ob idque præditum omni pietate munus teneatur infirmarius R.

B Adm.

Adm. P. N. M. Provinciali de his nuntiare quantocyus, cum tanta vrgeat illum charitas, erga dilectiſſimos ægrotos Fratres, vt vix aliquis ex illis ſit, qui infirmetur, quod & pariter ille non ſit infirmus, tanta enim eius eſt benevolentia, eximia pietas, adeo ardenter ſatagit cupiens potius quam miniſtrari, miniſtrare, quod ſe præbuit primarium, & maximum infirmarium, vt ita præfixa, ſtatuta que ordinatio per Illuſtriſſimum de Monroy, ſub die 28. Septemb. Ann. 1677. ordi. 14 pro hac Provincia omni charitate ſervetur.

5. §. 16. Ordinamus tam omnes, quam ſingulos Religioſos, huius noſtræ Provinciæ, quam alterius cuiuſque, hinc, & inde, vage diſcurrentes, & ambulantes, ad hoc Imperiale Cœnobium, prout par eſt, pervenire quantocyus, ne, dum ſine vigilante Paſtore diſperſi vagantur in laqueum incidant lupi rapacis, ſed ita ad ſuum ovile venientes, & noſtris, prout fas, & licitum fuerit, loci deſignationem præbeamus, alienis vero præſtetur ordo ſervandus, prout diſpoſitum eſt à R mo Pat. N M. Gen. Fr. Antonino Cloche, Romæ 1686 die 1. Iunij, acti. Cap. Gen. pro Ordine toto, confirmatione 3. circa Ordinationem 5. Cap. Gen. Bononiæ 1410. & Argentini 1417. erga Vagabundos Fratres coercendos.

§. 17. Et quia; R. P. Lect. Fr. Thomas de Almendral. cum ad præſentiam Ex^{mi}. Principis, de Alburquerque (Ducis, huius occidui Orbis Pro-Regis, literas ſupplicatorias præſentaſſet, pro conſequenda venia ad ſe in Hiſpaniarum Regna conferendum, ipſe ſuis literis affirmans ad hanc noſtram Iacobæam Provinciam, ratione invaliditatis, & nullitatis receptionis eius ad vnionem cum illa non pertinere:) & pro nunc præſenti noſtro Diffinitorio huius anni 1705. notorias patentes literas facit, de eius admiſſione ad vnionem cum dicta Provincia noſtra, expoſtulans dictum Diffinitorium declarare huiuſmodi incorporationem validam eſſe: omnes á Diffinitorio, R. R. P. P. literis obedientiam præſtarunt

runt

runt, determinantes ipſum R. P. Lect. per ſe, & non per alium, coram Rmo. P. N. Mag. Gen. apparere, vt ipſe circa literas obeditas iudicet, & determinet, atque interea dictum R. P. Lect. ibi, vbi per R. Adm. P. N. M. Prov. determinatum fuerit, vitam degere.

6. §. 18. Ordinamus: decorem, & vigorem Religionis attendentes prout noſtram decet Sanctitatem, & ne miſera efficiatur anima, dum plus veſtibus, quam moribus, & obſervantia regulari placere videtur, nullum, noſtrarum legum conſtitutionibus, & quam plurium actorum ordinationibus præhabitis, lineis ad carnes vti, nec alio colore, quam albo interius veſtiri, & ſi infirmitatis neceſſitas cogat, pro lineis ad carnes Medicus conſulatur eiuſque literis circa indigentiam habitis, erit egenti concedenda venia.

§. 19. Stabilimus pariter: omnes in ccturnis, tali modeſria cunctorum obtutibus exhiberi, vt non Sæcularia potius calceamenta cenceantur, ſed immo exemplaria, Religioſaque ornamenta, in omnibus motibus, abſque vlla ofenſione pedum prorſus circunſpiciantur. Pari ratione, per lucidos nodos, ad manicas, hoc eſt *Botones, ò relumbrones en las mangas.* vt omnino ſtatui Religioſo nocumentum afferentes, ſæculari que non ædificationem exhibentes deponere, prout & pariformiter; lineum ad collum, cuſpidatis ornamentis, vulgo: *puntas, y encages*, ſub eademq́ ordinatione ſanximus, inviolabili cura ſervari conſtitutionem, circa raſuram, Fratresque converſos de quindena in quindenam, capitis tonſuram diligenter obſervare.

7. §. 20. Ordinamus: ſub præcepto formali: quod cum Ordo noſter, ſpecialiter ob animarum proventum, & lucrum, Inſtitutus ab exordio noſcatur, ad quod quidem, maximum iuvat, otium quantumcumque vitare, in cellis nullum muſicum inſtrumentum inveniri, ſed omnes in Sacris, præ oculis, ſuper mēſam moralem Summam habere, eius que ſtudio va-

 care

care, teneri que intra dierum viginti ſpatium, á promulgatione ordinationis noſtræ, huiuſmodi Summam vel pretio, vel diligentia vendam habere.

8. §. 21. Ordinamus: ſub formali præcepto omnes, præfixo tempore, & horis pro audiendis confeſſionibus deſignatos ab hora matutina ſexta, vel ad minus á media, vel ab hora ſeptima ad nonam vſque locis ad tam per laudabile, Domino gratum, proximiſque ſaluberrimum exercitium deputatis omni cura adeſſe ſolicitos, in cuius munere per agendo ſtolis vtantur ad collum, & ſub eodem præcepto mandamus, quod Religioſi in Populis Indorum degentes, eo ipſo, quod pro aliquo Sacramento conferendo fuerint vocati, nulla interveniente mora, nullo iracundo peraudito verbo, impatienti que ſigno oſtenſo, iniuriam inferente vocanti, matura vigilantia præeant.

9. §. 22. Ordinamus: Religioſos Populis Indorum commorantes idiomati ſtudere Mexicano, omnes que (dumtaxat exceptis, dicti idiomatis peritis) etiam ſi expoſitione ordinaria potiri noſcantur, intra terminum ſex menſium, dicto pro idiomate ad publicum examen teneri, ad cuius exactam obſervationem, & vt commodius executio fiat, eorum *Prælati*, pictantiam pro quolibet menſe deputatam, non impartiatur, quo ad vſque extiterint approbati.

10. §. 23. Ordinamus: Neminem foras eggredi, nec per Civitatis, & vrbis loca inaſſociatum incedere ſub pœna culpæ gravi correſpondenti, quæ in Novitiorum domo peragenda, & implenda erit, per acta tamen, qui tali fuerit culpa deprehenſus, ad novæ Indorum converſionis domum aliquam erit deſignandus, & pro exactiori obſervantiâ ſub formali præcepto mandamus R R. PP. Procuratoribus hoc ipſo quod aliquem in fractione noſtræ ordinationis inſpiciant, alicui, ex Prælatis nuntiare.

11. §. 24. Ordinamus: ſub formali præcepto pœna que cen-

ſuræ

ſuræ, quod nullus abſque Superiorum ſpeciali licentia, pro in aliquo quovis loco Miſſa celebranda extra Conventum ire præſumat: quod RR. Adm. PP. Rectoribus pro eorum ſubditis commendatur.

12. §. 25. Ordinamus: nullo prætextu, Religioſos, apud Indorum domos, pro adminiſtratione commorantes, abſque in ſcriptis venia ſuſcepta, Mexicum petere; minimeque, ſolitudini domos relinquere deditas, & caſu quo impetrata venia, pervenire contingat: nullo modo, nec per circuitum, pedeſtres diſcurrere niſi aſſociatos.

13. §. 26. Ordinamus: vt meliori obſervantia mandentur executioni præcepta, & ordinationes N. Rmi. P. M. Gen. prohibentis cartharum ludos, Gallorum concertationes, alios ve ſtatui illicitos Religioſo, eo vel maxime quia paupertatis læditur ſolemne votum, huiusmodi que mandatum conſtat eorum eſſe quæ à SS. D. Clemēte VIII. reſervari permitūtur, illis in tali delicto (quod Deus avertat) obnoxijs abſolutionē, R. Adm. P. N. Mag. Provinciali pro omnibus, & R. Adm. P. huius Mexicani Conventus Priori, pro Subditis eius tantum, reſervari. Quod quidem, RR. Adm. PP. Rectoribus de Porta-Cœli, & de Sancto Ludovico, Civitatis Angelorum, pro eorum ſubditis obſervandum committitur.

14. §. 27. Ordinamus: ſub formali præcepto nullos huius Conventus Religioſos, nec ad Eccleſiam, nec ad ianuam aliquam deſcendere, & peragere vagos curſus, ſub eodem que mandatur, nullum à Bibliothéca communi extrahere librum abſque expreſſa licentia, vel Rdi. A. P. N. Mag. Provincialis, vel Rdi. A. P. Prioris huius Conventus, & qui obtenta venia illum acceperit, teneatur ad priſtinum eius locum iterum reſtituere idem que erit obſervandum, etiam ſi intra Bibliothecam ipſam, librum aliquem quiſpiam manibus é ſuo loco evolvat.

Poſtu-

Poſtulationes.

1\. §. 28. CUM ad nos ſæpe ſæpius Rmi. *P*.N.Mag.Gen.circa iudiciariam diſcutionem vocalium, pro obtinẽdo, vel non ad Provinciale Capitulum ſuffragio, quam frequentiſſimè declarationes pervenerint, hiſque demum non obſtantibus, huic Noſtræ Mexicanæ Provinciæ, ex tali vocum diſcutione, & iudicatura quam gravia præiudicia; diſidia que quamplurima exorta in dies experiantur, taliter vt inde ad vſque ſæcularium agnitionem, ad eorum que Tribunalia (á quibus recurſus in hoc præſenti Capitulo á non nullis interpoſitus admiſſus fuit) omnia in tali iudicatura facta evenerint, & ex tali recurſu, notæ materia exhibeatur dum ea quæ intra clauſtra dumtaxat agi debent, prodeunt in publicam ſæculi notitiam: proinde que ex noſtris operationibus, & factis, minus periti, minus que diſcretionis vſu prędiiti, grave patiantur ſcandalum, hac de cauſa animo ſubmiſſo, & per Dñi N. Chriſti viſcera, á N. Rmo. Mag. Gen. expoſcimus pro hac noſtra Iacobæa Provincia, ſuper hac vocum diſcutione paterna benignitate diſpenſare, cum potius quam pacis & tranquillitatis origo, perturbationum huiuſmodi iudiciarius actus vniverſitas attendatur; pro pari enim cauſa paternis affectibus Illmum. de Monroy, Cœnobio huic Mexicano pro ſocij *P*rioris electione talem poſtulatam diſpenſationem fuit concedere dignatus.

§. 29. Et ſi (vti in Domino confidimus) hæc à nobis fuerit cõceſſa, ſuppliciter poſtulamus: N. Reverendiſſimum Mag. Gen. Rdo. P. *P*rocuratori noſtro veniam concedere, vt ipſe apud Beatiſſimum precibus obtinere ſatagat, litteras auxiliatorias, ad perpetuum robur, & coexiſtentiam erga noſtræ poſtulationis factum; ſiquidem ſuffragiorum approbatio, litteris diſpẽſatorijs obtentis poterit, ita ſuppleri, per

ri, per hoc quod reperti ad ſuffragium aliquo impedimento obſtricti, de validitate vocum emergēte dubio, á cæteris ſuffragantibus apti reddantur ad ſimul cum eis eligendum; vnde ſicut Dominus N. Alexāder VII. ſuo Brevi; *Sacro Sancti Apoſtolatus* Romæ ſub 7. die Auguſti 1663, ſuppletis quibuſcumq; defectibus in electione Prioris Provincialis diſpenſationem concedit ita, & erga Electores, elargiatur huiuſmodi diſpenſatio, ſalvo ſemper proteſtationum iure, vt inde N. Rmus. Mag. Gen. ſua providentia determinet circa electionis validitatem confirmandam, vel anullandam electionem.

2. §. 30. Item cum circa alternativam pro munere, & officio *Re*ctoratus inter natos in Hiſpania, & inter in Indijs ortos, quantum ad ſubſiſtentiam, vel non, prout ad Collegium S. P. N. Dominici de Porta-Cœli attinet, ſuis ſtatutis conſtet, hoc que ſub aliqua expreſſione notum non ſit, pro vt ad *R*egale S. Ludovici Collegium Angelopolitanum pertinet: N. *R*mum. Mag. Gen. poſcimus authoritate Apoſtolica declarare, an obſervanda ſit huiuſmodi alternativa, pro dicto Collegio S. Lodovici, nec ne?

3. §. 31. Et quoniam N. *R*mus. Mag. Gen. ſuis ordinationibus, & actis pro hac Provincia expeditis, præcipit, Priores Conventuum de Guadalaxara, & de Zacatecas, in Capitulis *P*rovincialibus carere ſuffragio, ſi Religioſorum duodenarium numerum degentium ibi non aluerint; ſupplicamus, quod cum temporum labentium, tanta ſit indigentia, & inopia pro ſufficientibus erga talem *R*eligoſorum numerum ſumptibus, circa hoc diſpenſare dignetur: & quod, ſicut SS. N. *P*aulus V. *R*egia que Maieſtas, pro alijs Conventibus quantum ad ſuffragium diſponunt, vt ſit in omnibus vniformitas, ſit ſufficiens *R*eligioſorum numerus octonarius.

4. §. 32. Poſtulamus N. *R*mum. Mag. Gen. favore benigno aggregationem domorum ad Conventus á N. Adm. *R*do. *P*at. Ex-*P*rov. Fr. Ioſepho Gonzales Prædicatore Gen. factam

tam, & à Concilio PP. approbatam prout in denuntiatione 4. §. 7. relatum eſt confirmare, & caſſu quo ſumptus aliquo accidente minuantur obſervari, quod proviſſum eſt, in dicta 4. denuntiat. §. 8. diſponi.

5. §. 33. Enim vero, cum R. A. P. N. Ex-Prov. Præd. Gen. Fr. Ioſephus Gonzales, inito Cócilio PP. Domũ de Tepetliz pã diſmembraverit á domo de Chimalhuacanchalco, fidelium ibi degentium ductus precibus, & obſecrationibus inclinatus, vt ita commodius, Sacramentorum adminiſtratio illis fieret,: petimus, quod N. Rmus. P. Mag. Gen. dictam ſeparationem approbare, & confirmare dignetur.

6. §. 34. Poſtulamus: attendentes præcipue, ad impletionem ponderis diei, & æſtus, quo in dominica vinea, dum alij in domo Domini orationibus, & ſacris vacant in atrijs domus ipſius Domini, indefeſſo labore, apud novam Indorum converſionem, Chariſſimus noſter Fr. Ioſephus Fælix converſus laudabili Marthæ munere cótinúo deſudavit, vt Rmus N. Mag. Gen. ei concedere vellit; tantummodò converſionem erga ſcapulare, & caputium, penes colorem de nigro, in album dum hoc pro hac noſtra Mexicana Provincia, Rmus. N. Mag. Gen. alteri ſua pietate non denegaverit: hac ſola conceſſione dictus Frater fœlix reputatus ab executione diſpenſationis impetratæ per litteras Apoſtolicas pro ſacris ordinibus aſſequendis, deſiſtit.

7. §. 35. Attenta; & regionis diſtantia, atque vt ne meritorum pro laboribus differatur corona á N. R. Mag. Gen. expoſcimus: quod concedere dignetur R. A. P. Provincialem, pro tempore huius noſtræ Mexicanę Provinciæ, etiam extra Diffinitorium, intermedio capituli tempore, benemeritos ad graduum conſecutionem poſtulare.

8. §. 36. Petimus: quod cum aliqui in noſtra Provincia ſint, in poſſeſſione, & acceptatione erga collationem graduum, & cum ſint pariter omni gravitate prædíti, ac omni literatura có-

deco-

diti, omni litteratura condecorati proindeque eis in præiudicium eveniret, ſi ad inveſtigandas eractæ patentes litteras, & ad impletionem lecturæ temporis requiſiti perveniatur: poſtulamus N. Rmum. Mag. Gen. vt veniam concedere dignetur R. P. *Procuratori* noſtro, vt litteras Apoſtolicas impetrare ſatagat, quibus SS. Pater ſuper his diſpēſare dignetur, cum ita paci, & tranquilitati in perpetuum commodius provideàtur.

Dubia.

§. 37 DUbitamus (ſuppoſitá obedientia noſtra literis patentibus Rmi P. N. M. Gen. circa gradus] quantum ad id quod modum executionis tangit, eo quòd in aliquibus patentibus reperiatur hæc clauſula: *Pro loco vacaturo*, & aliæ quæ vt viſſum eſt ex illis ſunt, quæ comprehenſæ in Brevi quodam Apoſtolico cognoſcuntur, quod quidem Apoſtolicum Diploma á Regia Máieſtate, & Senatoribus Mexicani Senatus obſervandum nobis notificatum eſt, cui & nos prompto animo obedientiam præſtitimus, & cum huiuſmodi literæ Apoſtolicæ ſecundū quod ad executionem ſpectant, videantur dicere oppoſitionem clauſulis illis, ſupplices N. Rmum. Mag. Gen. conſulimus pro commoda tuta que regulatione in his, ne in executione, vel prædicto Brevi, vel literis Patentibus contraire videamur; Schedula autem, & Breve ſunt tenoris ſequentis.

EL REY.

POR quanto haviendome repreſentado Fray Juan Antonio Centeno Predicador, y Procurador General de la Provincia de Eſpaña de la Orden de Predicadores en nombre de ſu General, y Religion, haver deſpachado la Sanctidad de Innocencio,

cio Duodezimo, vna Bulla ſu Data á veinte y dos de Septiembre de mil, ſeiſcientos, y noventa, y cinco, mandando ſe obſerve, y guarde lo Decretado por Innocencio vndezimo ſu Predeceſſor en otra que expidió en veinte de Noviẽbre de ſeiſcientos y ſetenta y ſiete en orden á la reformacion de muchos Grados de Maeſtros, diſpenſaciones de Choro, exempciones, y Privilegios concedidas á muchos Religioſos de ſu Orden por los Superiores en todas las Provincias de ella, ſuplicandome mandaſe darle certificacion de ſu preſentacion para que tuvieſſe cumplimiento en Indias, y viſto en mi Conſejo de ellas con lo que en eſta razon informó el Provincial de la Provincia de Eſpaña, ſe dió paſo á las Bullas mencionadas, y conſiderandoſe quanto importaba para la mejor obſervancia, y credito de las demas Religiones encarguè á mi Embajador en Roma, que en mi nombre ſuplicaſſe á ſu Santidad, que para que ſe entẽdieſſe, y practicaſſe en las demas Religiones de las Provincias de Nueva-Eſpaña, y el Peru, quiſieſſe dignarſe de expedir otra Bulla que las comprendieſſe ſin excepcion, y con las clauſulas, y circunſtancias, que pareccieſſen adequadas al intento para que eſte negocio corrieſſe con la firmeza, y ſeguridad conveniente, y ſu Santidad condeſcendiendo á mi ſuplica, ha ſido ſervido deſpachar Breve dado en Roma en doze de Henero de mil ſeiſcientos y noventa y ſiete; el qual viſto en mi Conſejo de Indias con lo que ſobre ello dixo mi Fiſcal, y teniſdoſe preſente lo mencionado en la ley ſetenta y ſeis libro primero titulo catorze de la Recopilacion de Indias, que diſpone, que de conceder los Generales de las Ordenes de San Auguſtin, Santo Domingo, y la Merced mas Magiſterios de los que eſtán diſpueſtos, y ordenados para cada Provincia de ſus Religiones, ſe ſiguen muchos incombenientes, reſpecto de la reſerba que por eſto tienen algunos Religioſos de aſsiſtir á las obligaciones del Choro, y otras de que ſon exemptos, por lo qual, les eſtá encargado, que no den ſemejantes Patentes, ni excedan del numero á que eſtán reducidos los Maeſtros ſin permitir mas de aquellos que deve haver en cada Provincia, ni diſpenſar en el numero, ni calidades. Por tanto por la preſente, ruego, y encargo á los Comiſſarios Generales de San Franciſco, y Vicarios Generales de la Merced de los Reynos, y Provincias de la Nueva-Eſ-

pa-

paña, y el Perù, y á los Provinciales de dichas Religiones, y de las demas que ay en ellas que viendo la copia adjunta, authentica del Breve citado de doze de Henero de mil ſeiſcientos y noventa y ſiete obſerven, guarden, cumplan, y éxecuten inviolablemente ſu contenido en la forma, y con la puntualidad, y preſicion que ſu Santidad lo manda, y en la ley ſetenta y ſeis ſe expreſſa que aſsi conviene al ſervicio de Dios, y mio, y buen Govierno de ſus Religiones, Caſas, Conventos, y Congregaciones dandome cada vno por lo que toca á ſus Provincias quenta en las primeras ocaſiones, que ſe ofreſcan del recibo, y cumplimiento del Breve citado, y de eſte deſpacho para hallarme enterado de ello. De Madrid à veinte de Diziẽbre de mil ſeiſcẽtos y novẽta y ocho años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey Nueſtro Señor.

Don Martin de Sierralta.

Yo el infraeſcrito Notario Apoſt. y Comp. doi feé, y verdadero teſtimonio, que el dia 5. de Agoſt. de 1699. años cõvocada toda la Comunidad deſte Convento Rl. de N. P. S. Domingo de Mexico con tres pinos de la Compañia de Capitulo, y junta en la ſala de Domina, leî eſta Rl, Cedula ſu fecha en 20. de Diziẽbre de 98. y juntamente la Bulla de N. SS P. Innoc, XII, de 12. de Henero de 97. y ſu traduccion en Madrid en 6, de Septiẽb. de 98, y haviẽdo ſido leida, y promulgada en nombre de toda la Communidad la obedeció N. M. R. P. M. Provincial Fray Domingo de Souſſa diciendo, que obedecia Cedula, y Bulla como Vazallo de ſu Mageſtad, y Subdito de ſu Santidad. y que proteſtaba no obedecer grado alguno, ó Patente, que no viniesſe ſegun las Reglas de las dos Bullas, que ſu Mageſtad manda ſe guarden, y cumplan, á que aſsiſtió toda la Comunidad ſiendo teſtigos los Muy Reverendus Padres Maeſtros Fr, Iuan Baptiſta Mendez Prior de Mexico, N. P. Fray Iuan del Caſtillo Maeſtro, y el M. R, P. M. Fray Auguſtin Dorantes y todo el reſto de la Communidad, y es fecho en 6. de Agoſto de 1699,

Fray Joſeph Gonſalez.
Pred. Gl. Comp. y Notar. Appoſtolic.

SANCTISSIMI DOMINI N. INNOCENTIJ Divina providentia Papæ XII.

Confirmatio litterarum Innocentij Papæ XI. ſuper reductione Magiſtrorum, aliorum que Graduatorum Ordinis Fratrum Prædicatorum ad numerum pro vnaquaq̃ Provincia ſtabilitum, ac ſuper alijs eundem Ordinem reſpicientibus proviſionibus editarum cum annullatione forſam geſtorum adverſus illarum formam.

Innocentius PP. XII. *ad futuram Rei memoriam.*

EX iniuncto Nobis cœlitus Apoſtolicæ ſervitutis munere ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris promovendæ Chriſti fideles Divinis obſequijs ſub ſuavi Religionis iugo mancipatos Regularis diſciplinæ ſtudio ſapienter diſpoſita eſſe noſcuntur, vt ſolidiori robore perennent. Apoſtolici muniminis noſtri præſidio libenter conſtabilimus, aliàs deſuper ſolicitudines, & providentiæ noſtræ partes interponimus, ſicut conſpicimus ſalubriter in Domino expedire. Aliás ſiquidem ſuper reductione Magiſtrorum, aliorum que Graduatorum Ordinis Fratrum Prædicatorum ad numerum pro vnâquaque Provincia dicti Ordinis reſpectivé ſtabilitum, nec non ſuper diverſis alijs executionem eorum, quæ per Conſtitutiones, ac Capitula Generalia Ordinis huiuſmodi præſcripta reperiuntur, potiſſimum reſpicientibus ordinationibus, emanarunt, à felic. rec. Innocentio Papa XI. Prædeceſſore noſtrô litteræ in ſimili forma Brevis tenoris, qui ſequitur, videlicet Innocentius Papa XI. Ad futuram rei memoriam. In ſupremæ Militantis Eccleſiæ ſolio per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, meritis licet imparibus, collocati, muneris noſtri partes eſſe intelligimus, vt ea quæ Religioſorum Virorum Ordinibus in Eccleſia Dei piè, ſanctè que inſtitutis detrimentum adferre, regularem que in eis diſciplinam perturbare noſcuntur, ad æquitatis, & iuſtitiæ terminos reducere ſatagamus, ſicut omnibus maturæ conſiderationis trutinâ perpenſis, ad omnipotentis Dei gloriam, & Religionis fælicem progreſſum, ac incrementum ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Cum ita que [ſicut accepimus] Magiſteri, alijque Graduati Ordinis Fratrum Prædicatorum, propter aſsiduum miniſterium, quod eis exhibetur, nec non expenſas, quas communitatibus occaſione Capitulorum Provincialium adferunt, ac exemptionem, à Choro, alias que prærrogativas, quibus fruuntur Provincijs ipſius Ordinis valde oneroſi exiſtant, & licet certus huiuſmodi Magiſtrorum, & Graduatorum pro vnaquaque Provincia numerus per Capitula Generalia Dicti Ordinis, ad petitionem ipſarum Provinciarum, quæ propriarum virium conſciæ ita ordinari deſideraverant, ſtabilitus reperiatur, cum expreſſa prohibitione, ne eædem Provinciæ alios, petere valeant, neve huiuſmodi numerus vnquam excedatur, niſi in caſum quo Magiſter Generalis Ordinis prædicti pro tempore exiſtens ex aliqua vrgenti cauſa aliter diſponeret; nihilominus Magiſtrorum aliorumque Graduatorum huiuſmodi multitudo in dicto Ordine abſque vlla vrgenti cauſa per nimiam præteritorum Magiſtrorum Generalium ipſius Ordinis facilitatem, atque indulgentiam adéo excreverint, vt Provincijs prædictis intolerabilis exiſtat, & quod peius eſt inter eos non nulli reperiantur, ad Magiſterium, alios que gradus promoti, qui officia per Conſtitutiones Ordinis præfati ad id præſcripta non exercuerunt. Sed eum quibus per inde, ac ſi officia huiuſmodi exercuiſſent, diſpenſatum fuit; Hinc eſt, quod Nos eiuſdem Or-

